I. De Ovidii vita.

Publius Ovidius Naso ex antiquo genere equestri oriundus Sulmone in Pelignis natus est die XX. Martis a. a. Ch. 43. u. c. 711[1]). Re familiari censum Senatorium exsuperante pater utrumque filium (nam alter ei erat uno anno major) Romam deduxit, ut ad rempublicam capessendam educarentur. Ubi dum major natu ex patris proposito eloquentiae operam dat, alterum Musae in sua opera trahebant. Nequidquam pater utile dulci praeferendum esse, neque ipsum Homerum ullas sibi opes comparasse monebat: Publius egregiam indolem poeticam, qua scripta quaelibet ad carminis numeros venirent, excolebat et conformabat. Toga virili sumta, et laticlavia quidem, quae equitum splendidiorum liberis in spem ordinis Senatorii ex more concedebatur, XVI. annos natus rhetoricae professores audiebat, Arellium Fuscum quidem et Latronem. Atque ingeniose apud illos argumento dato declamabat, sed ita, ut sine certo ordine per locos discurreret. Mobile enim illi ingenium erat et vagans, impetuque magis quam ratione consilioque regebatur: itaque quum molesta ei esset omnis argumentatio, controversias raro, libentius suasorias dicebat. Eam vero ingenii indolem, qua a certo ordine studiisque continuis et consilio constanti abhorreret, per omnem vitam valuisse, et mores et opera ad unum omnia convinciunt. Quare honores capessendos non ita multum curabat: nec non pater, donec alter filius sospes erat, in quo spem Senatorii ordinis poneret, Publium et ingenio et moribus a puero laxioribus indulgere passus esse videtur, sumtibus tantummodo temperatis. Sed quum fratre anno 24, u. c. 730 mortuo unicus ille restaret, mollia studia munere publico, mores molles uxore data coërcere et regere conabatur: Publius autem uxori, quae nec digna nec utilis sibi videretur, Corinnam puellam, litibusque judicandis carmina praeferebat.

---

[1]) Cum F. III. v. 809—814 cf. T. IV. elegiam 10, qua ipse vitam adumbrat. Sibi ipsi non nisi Naso appellatur; Ovidii nomen, ab aliis servatum, vel metri lex commemorari vetabat. Publius non nisi in vitis nominatur. — Toga virilis Bacchi die festo sumi sumebatur F. III. v. 771, i. e. die XVII. Martis, circa aetatis annum XVI.; itaque Ovidius eam a. u. 727 vel 728 sumsisse putandus est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quamquam, ut rerum ordine ducar, commemorandum erit, eum jussu patris triumviratu capitali anno 23 u. c. 731 functum et proximo in decemvirorum litibus judicandis numero fuisse: per ejusmodi enim munera adolescentibus latum clavum gerentibus aditus patefieri solebat ad honores senatorios.

Sed neque numerum publicorum gradus ascendere, neque militiae pulverulenta praemia sequi in animo votisque erat: quoniam militat omnis amans otiumque cuilibet muneri praestat, otium ante omnia et amorem amplectebatur, in eaque militia, si parva licet componere magnis ad Achillis idem et Homeri gloriam adspirabat. Itaque crebra in amore praemia relata cantabat, cantata populo legebat: unde tantam brevi tempore inter aequales gloriam consequebatur, ut tenerorum lusor amorum, cumque amatore suo Corinna, in omnium ore essent. Laude poetica in dies amplificata pater non jam invitum filium ad honores compellebat, neque adeo aegre tulisse videtur, quod Publius, ut antea uxoris vinculo, quae perbreve tempus nupta fuerat, sic nunc honoribus se subtraheret. Aderat enim aetatis annus vigesimus quartus, qui erat legitimus Quaesturae petendae. Illud autem onus viribus suis majus fuisse ideoque clavi mensuram coactam i. e. curiae spem abjectam esse, ipse testatur. Neque hujus rei unquam eum poenituit: namque tunc demum omni cura vacuo licebat, otio vitaeque dulcedine quaque perfrui. Prisca juvent alios: se aetate excultiore natum omnibusque voluptatibus se dedere posse, justo magis laetatur.

Inde per quinque lustra aetas tanquam dulce sonantium aquarum rivus praeterlabebatur, neque re ulla neque facto notanda, sed otio luxorioso et amore carminibusque. Namque Venus vitam, carmina Erato moderabatur: utrique inserviebat cum aequalibus vitae artisque sociis, qui tantum non nostratium more poetarum societate conjuncti, vitae commoditatibus carminumque deliciis una perfruerentur. Inter eorum se numerum fuisse refert, quum Tibulli funera fleret, 18 a. ch. a. defuncti: Macer[1]) in iis erat et Horatius et Propertius aliique, Calvo, Catullo, Gallo jam ante Tibullum mortuis; neque cum Virgilio amicitiae ineundae tempus fata dederant, qui et ipse aliquot ante Tibullum mensibus mortuus esset a. a. ch. 19: itaque libri primi Amorum elegiam XV. anno a. ch. 18 scriptam esse dices, quo Aeneis opus posthumum ederetur, commemoratum in illa elegia ab Ovidio: eodem anno libri tertii elegiam nonam, Tibulli manibus sacratam.

Atque poetas quidem illos amicitia inter se et familiaritate conjunctos (quos quidem convictus sui membra appellat) consilia inter se communicasse et carmina sibi legisse, Ovidius ipse tradit. Itaque ille elegias suas de amoribus scriptas amicorum judicio laudeque probatas subinde in publicum edebat. Anno a. ch. 15 u. c. 739 prima quinque librorum editio attribuenda est, quam deinde in tres libros redigendam curavit ante annum 2 u. c. 752: namque in Artis Amandi hoc anno editae libro tertio v. 339. de tribus libris dicit, quos titulus Amorum signat. Ante utramque vero et Artis et alteram Amorum

---

[1]) Quonam tempore Ovidius iter illud in Asiam Siciliamque cum Macro susceperit (P. II. 10.) quandoque Athenas studiosus petierit (T. I. 2. v. 77.) definiri nequit: puerilibus annis Trojam eum vidisse, ex F. VI. vv. 417—424 concludunt Masson et Leutsch. Sed legitur ibi hoc tantum: caetera jam pridem didici puerilibus annis; ut nescias utrum ad rem tantummodo, quam relaturus est, puerilibus annis auditam referendum sit, an etiam ad versus illos, quibus sibi curam fuisse commemorat templum locumque videndi. Athenas eum petisse ex versu s. l. constat: quamquam si literis studendi causa diutius ibi commoratus fuisset, sine dubio in vita enarranda hujus rei mentionem fecisset: itaque unum tantummodo utroque loco iter significari crediderim.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

editionem Heroidas scriptas editasque esse ex A. A. III. v. 345. A. II. 18. v. 21. liquet. Hasce Heroidum epistolas ad conjuges amatoresque datas postea numero auctas esse, inde concludas, quod loco proxime laudato novem tantummodo commemorentur, quum viginti et una supersint, quarum pleraeque si non omnes videntur esse Ovidianae.

Quodsi periodis, quas dicunt, circumscribere Ovidii carmina licet, hacce prima eum ad elegos tantum intentum dicemus, quod genus proxime accedit ad lyricam. Quamquam majus quid aliquando sibi canendum esse vel ipse vel amici perspiciebant, ne spem falleret, quam de ipso aequales cepissent. Non sine quadam indignatione ipsum confitentem legimus, quemadmodum laxus nec sibi fisus poëta nova subinde tempora leviori carminum generi concesserit et vires, rebus majoribus impares visae, altiorem spiritum sumere destiterint. Una tantummodo tragoedia Medea est, quae in hocce tempus cadat: ea Quinctiliano quidem (nam nobis non exstat) ostendere videbatur, quantum vir ille praestare potuisset, si ingenio suo temperare quam indulgere maluisset. Cui eum indulgere maluisse opera quaeque demonstrant. Namque quum versatile ingenium abhorreret ab opere majoris argumenti componendo et elaborando, neque animum a lusibus jocisque revocare valeret, aliquid autem suae se gloriae debere, ut ita dicam, aegre ferret: non heroum fortia facta, non tragoediae gravitatem, non ingenuae artis doctrinam in se suscepit: sed, livori et invidiae tribuens sermones, quibus vitae Musaeque suae ignavia et protervitas carperetur, Artem Amandi tanquam se dignam materiam amplectebatur.

Ab hacce ego Arte concepta alteram periodum ordiendam dixerim, qua ingenii hilares lusus et mollia studia ad certam rationem revocaret. Amplectitur aetatis annos a quadragesimo fere usque ad quadragesimum quartum, et recte Leutschius [1]) observavit, tam hilare esse poema illud, ut alterum matrimonium divortio jamjam ruptum fuisse verisimile sit. Accuratius tempora nuptiarum, quas ternas iniit, definire non licet.

Edita quidem est Ars anno 2, u. c. 752: namque naumachia, Salaminiam repraesentans, tanquam nuper a Caesare in Circo acta commemoratur AA. 1. v. 171: acta autem est hujus anni mense Majo: atque Caji contra Parthos expeditionis, proximo anno susceptae, tanquam suscipiendae mentio fit A. A. I. v. 179. Adde quod post Juliam (mense Septembri a. 2) relegatam poeta ejusmodi librum vix edidisse putandus est. Itaque aestate anni 2 in lucem prodiisse videtur. Parvo tempore ante liber parvus de Medicamine faciei scriptus videtur esse, ad quem respicit A. A. III. v. 205.: biennio autem post Artem Remedia Amoris, argumentum titulo aperienta, sequuta sunt: namque Parthicum bellum proximo anno finitum, durare perspicitur verss. 151—158. cf. 224., et Cajus Euphratem transgressus esse, id quod in a. Ch. 1. quadrat.

Tempore inde ad annum p. Ch. nonum pertinenti tertiam periodum circumscripserim. Quae vita otio libidinique dedita suppeditare posset argumenta, Amoribus, Heroidibus, Arte, Remediis exhausta erant et absoluta: sequuntur Metamorphoses et Fasti, opera mirum quantum ingenio copioso et mobili convenientia. Namque argumentum varium et multiplex studia quidem varia exposcebat, neque tamen continua et diuturna. Ab epica ratione, cujus habitu induta sunt, recedunt eo fere modo, quo a tabula picta caleidoscopii figurae mutabiles fluxaeque. Sed haec alio loco tractanda.

---

[1]) Leutsch in Ersch et Gruber Encycl. s. v. Ovid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Dum metamorphosibus expoliendis, fastis componendis operam dat, vita mollis et otiosa quasi fluctibus obruta est relegatione illa Tomitana ab Augusto imperata. Metamorphoses ex hac causa summa auctoris manu carere satis constat: sex Fastorum totidemque libros eum scripsisse, quum opus exilio rumperetur, ex T. II. v. 549 apparet. De librorum numero grammatici certant. Namque loco modo laudato sunt qui explicent, sex Fastorum totidem libris scriptos esse; equidem, quoniam Ovidio usitatum est, ultimam hexametri partem pentametro illustrare et tantum non repetere, „totidemque libellos" idem sibi velle atque addita: „cumque suo finem mense volumen habet" non improbabile dicturus eram [1]). Sed quoniam altero loco sex et totidem pro duodecim posuit [2]), atque duodecim [3]) sine dubio scripturus erat, mensium numerum referentes, quumque neque primos neque ultimos exaratos ante postremos vitae annos credam: de XII illo loco dicere poetam censeo ita, ut non de exaratis editisque, sed de inchoatis primumque conceptis intelligendus sit. Etenim sex vel adeo plures Romae editos aut in amicorum manibus fuisse nusquam legimus: de lectis nemo est qui verbum referat: immo nusquam nisi hoc loco commemorantur: qui si Romae ubiquam extitissent, eorum quoque sine dubio mentionem fecisset tum, quum ceteros libros commemorandos sive salutandos curaret, veluti T. I. elegia prima et septima. Adde quod opera illa duo ambitus majoris metrique diversi aeque fere eodem tempore ad editionem parata fuisse credi vix possunt: inter componendos igitur fastos expoliendas Metamorphoses curaturum fuisse credo Ovidium. Neque de duplici fastorum priorum editione testimonia praeter recentiorum commenta extant: hanc nostram multo esse seriorem infra videbimus.

Relegatus igitur est poeta ab Augusto, quia, ut hoc loco breviter dicam, testis fuerat orgiorum a Julia Principis nepti celebratorum, ad quae aditus illi ob morum scriptorumque lasciviam et experientiam patefieret. De tempore dubitari non posse credo, quin auctumno anni p. Ch. noni, u. c. 762 relegatus sit.

Quamquam fuerunt et nunc sunt qui dubitent; inprimis praeeunte Norisio Leutsch eumque secuti recentiorum editionum auctores, quippe qui annum 8, u. c. 761 ponant, Massonemque erroris arguant. Ipsos errare demonstrabo.

Quoniam mense decembri per Adriam vehitur [4]), et Fabii Augustique mortes lugens, quinquennium sibi in Scythia actum jamjam in alterum lustrum transire dicit [5]), ab Augusto, XIX. sextilis die a. 14. u. c. 767. mortuo, computandum erit, cujusnam ille anni december fuerit.

Unum et alterum mensem praeterlapsum esse donec nuntius de morte principis Tomos ad Ovidium deferretur, monuit Masson: equidem paucos insuper addiderim usque ad scriptam hancce epistolam, quoniam non recenti nuntio permotus videtur: etenim paucis tantummodo neque gravibus verbis

---

[1]) Quamquam quod fugâ ruptum esse opus dicit T. II. v. 552, inde non recte concludit Masson (Burm. IV. pg. 94.) sex tantummodo fastos scriptos esse, namque eodem verbo utitur de Metam. (T. I. 7. v. 14.) quarum libros omnes Romae scriptos esse constat vel auctore ipso teste, qui T. II. v. 47. respicit ad Met. XV. v. 868.

[2]) F. VI. v. 725.

[3]) F. III. v. 57. 58.

[4]) T. I. 11. v. 3.

[5]) T. IV. 6. v. 6.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

media epistola Augusti mortem commemorat, uno disticho, additque diserte, se de Principe nunc coelite carmen jamjam Romam misisse. Quare aliquot menses post Augusti mortem praeterlapsos esse, quum epistolam illam scriberet, dubitari vix potest: neque tamen ita multos, siquidem spes de carmine misso, fore ut eo sacrae domus Caesareae ira mitescat, tanquam vigere perspicitur. Unde sequitur hancce epistolam vix ante ineuntem annum 15. esse scriptam, quumque diserte dicat, unum lustrum transisse, alterum incipere, anniversarium igitur, quo advenisset, tempus currere, quinquennium illud per annos 10—14 pertinebat, subtractis decimi, additis decimi quinti primo vel secundo etiam mense: december igitur ille, quo per Adriam veheretur, anno nono attribuendus.

Eodem cogimur, si Leutschii rationem examinamus. Is igitur, quoniam decem lustris peractis Ovidius se relegatum esse dicit[1]), relegationem anno octavo adscripsit: etenim auctumno noni amplius LI et dimidium natus erat. Jam quum poetam rotundo numero hoc loco usum esse neget, suaeque rationi objici possit, quinquennium illud, quod in epistola sine dubio post Augusti mortem scripta in alterum transire dicit, octo certe vel pluribus mensibus superari: hosce octo menses, uno denique modo consumendos, itinere consumtos esse arbitratur. Et causa et ratio improbanda.

Cur decem lustra ad ipsum quinquagesimum annum referenda ducat, ex contextu nulla causa movetur: immo altero loco, Ibidis initio, iisdem verbis utitur Ovidius ubi quum omnes, tum L. ipse consentiunt, non de L sed de LIII fere annis intelligendum esse. Deinde tot menses poetam in itinere fuisse, quum per se, tum ex Ovidianis verbis, quibus nullius unquam morae mentionem facit, perquam improbabile est. Quid? quod prorsus falsam hanc rationem esse ex epistola libri primi Tristium ultima apparet? Totum hunc librum in itinere confectum esse primo disticho dicit: unde sequitur, hancce elegiam non loco tantum sed tempore quoque totius libri esse ultimam. Atque omnino poëta hasce elegias temporis ordine disposuisse dicendus est, quoniam posterioribus libris hic negligi coepit. Qua in re non est quod doceam, ordinem illum non ita stricte esse accipiendum, quasi necesse sit, eodem etiam, quo nunc legantur, elegias esse scriptas: prima quidem tanquam prooemium serius addita fuerit: attamen argumenti ordine chronologico a poëta editore dispositas crede.

Haec certe, de qua dicimus, tanquam libri conclusio postrema omnium est hujus libri, eademque ultimam portam tacturi navigationem continet. Jam vero hancce, si post mediam aestatem, ut vult L., Tomos venisset, aestate scriptam esse necesse foret: atqui scripta est brumali luce dum improba pugnat hiems. Haec igitur hiems anno decimo ineunti attribuenda (sive nono exeunti); namque anni 15 ineuntis hiems Augusti mortem secuta, sexta dicitur P. IV. 13. v. 40.: quae septima dicenda esset, si anno nono ineunte Thraciam appulisset.

Auctumno igitur anni p. Ch. noni a Brundisio solvit, Adriaticum Joniumque mare transit, Lecheaeas appellit, Isthmum cursu superat, Cenchreis navem alteram ascendit, Imbriam attingit et Samothracen, unde eadem navis impedimenta portans per Hellespontum Euxinumque Tomos petit, ipse tertia nave sumta Thraciam nactus terrestri itinere eodem pervenit anni decimi ni fallor Januario vel Februario. Iter illud exiliumque quartam vitae carminumque periodum continet, qua Ovidius laudis poeticae labem, virtutis naufragium subit. Sed nos hoc loco temporis rationem sequimur.

---

[1]) T. IV. 8. v. 33.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tristium libri primi elegias undecim in itinere omnes scriptas esse diximus teste ipso Ovidio, easque temporis ordinem referre. Penultima in insula Samothrace confecta est, namque Threiciam Samon se tetigisse dicit et „ab hac terra“ brevem esse saltum Tempyra petenti, atque Tyndaridas invocat, „quos haec colit insula fratres“: Castoris autem et Pollucis in eo portu statuas fuisse Servius commemorat [1]). Et haec et ultima totum hucusque iter commemorant, scriptae exeunte anno 9, ineunte 10. Credo equidem a portu Thracico priusquam pedibus Bistoniorum terram carperet, librum Romam missum esse. Etenim simulatque Tomos attigit librum secundum, apologiam illam ad Augustum, et scriptum et Romam missum esse omnes consentiunt. Quin et tertium librum eodem anno modo post adventum esse scriptum, inde concludas quod el. II. initio in fatis ergo suis esse dicit, Scythiam quoque visere, neque quidquam nunc, „ut via finita est“, sibi libere nisi flere: id quod advenae recentis opinionem innuit. Atque el. XIII. natalem increpat, quid ad miseros exulis annos veniat, neque in urbe sibi aevum finierit: sunt igitur prima exulis natalitia anni p. ch. 10. — Libri quarti elegiae anno 11 attribuendae, namque bis eum sol addiit gelidae post tempora brumae, i. e. annorum 10 et 11, et bis frugibus area trita est [2]): proximo anno liber quintus, quatuor illis addendus; atque elegia III. quidem Bacchi festa celebrat i. e. Martis die XVII., et X. scripta est postquam ter frigore constitit Ister.

Epistolas ex Ponto non re sed nomine tantum differre a Tristibus constat [3]), quum Ovidius nomina iis inscribere coepisset. Quas ad temporis ordinem, quo eas destitutas esse dicit [4]), revocare non conabimur, licet una et altera certa indicia habeat. Sic l. IV. ep. 6. a. p. Ch. 15 scriptam esse supra exposuimus: eodem etiam anno ejusdem libri epp. 8 et 13 compositae sunt, quoniam in altera Augusti mors in altera Geticum illud carmen in laudes Principes compositum commemoratur, atque sexta bruma, i. e. ineuntis anni 15, adesse dicitur: quo eum de Tiberii saepe imperium recusantis simulatione audisse perspicimus [5]).

De epistolarum igitur tempore dixisse satis erit, eas annis 13—16 p. ch. compositas esse [6]), in idemque tempus cadere et Triumphum illum Tiberii cantatum ab Ovidio et carmen de Augusto coelite recenti et Geticae ejusdem laudes [7]): quae non jam extant. Anno 17 denique Fasti sunt editi. Romae ante relegationem editos non esse, et Scythia et Aedes concordiae sacrata a Tiberio anno 10, et Livia

---

[1]) ad Aen. III. v. 12. Jacobi lex. myth. s. v. Diosc.

[2]) T. IV. 7. v. 1. 6. v. 19. Non est quod moneam libros singulos non stricte singulis annis respondere, sed in universum.

[3]) P. I. 1. v. 17.

[4]) P. III. 9. v. 53.

[5]) P. IV. 13. v. 28. Suet. Tib. c. 24. Tac. Ann. I. in. Vell. II. 124.

[6]) P. I. 2. v. 28. quarta hiems commemoratur i. e. anni 13. P. IV. 9. ad Graecinum consulem anni 16 suffectum data est.

[7]) P. III. 4. v. 3. IV. 6. v. 17. IV. 13. v. 19. Commemoranda hoc loco sunt cetera Ovidii opera, quae aut ipse ut non placitura cremaverat aut in exilium abiturus flammis dederat aut etiam temporis injuria perierunt. Amorum igitur libros V. in III. redacturus complures elegias sustulisse videtur, quarum nonnullas Corinnae laudes celebrasse verisimile est: namque nomen illud aequalibus notissimum (A. II. 17. v. 28. A. A. III. v. 538.) raro in iis occurrit quas nunc habemus (Leutsch. l. l.). Praeterea epithalamium illud in Fabii nuptias compositum (P. I. 2. v. 113.), Epigrammata quaedam et Priapeia et Aratea et Messalae Corvini Naenia P. I. 7. v. 29.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in Juliam gentem ex Augusti testamento adoptata et Tiberii recusatio imperii docent[1]). Huc adde Germanici triumphum VII. Kal. Jun. a. 17 actum, aut certe non ante exeuntem annum 16 decretum[2]): adde praeterea quod Tiberius templorum postor et repostor dicitur Ovidio, isque anno 17 complures aedes restitutas dedicasse narratur[3]): quare non nisi anno 17. Fasti edi potuerunt, atque ante Septembrem quidem: namque ante hunc mensem mortuus est Ovidius anno Abrahae MMXXXIII., qui ab Septembri anni 16 incipit[4]).

II. De moribus.

Jam quoniam vitam Ovidii ex temporis ratione circumscripsimus ita, ut et res et opera suis annis quantum potuerunt, assignata sint: ad mores transeundum est.

A puero igitur Ovidius nulli unquam studio ne mediocriter quidem deditus erat: non honores eum non oratorum gloria movebat: a militiae asperis certaminibus molle cor abhorrebat. Itaque quum curaret, ne posteritas ignoraret, quis fuisset tenerorum ille lusor amorum, nec corpus sibi patiens, nec mentem aptam labori fuisse narrat. Atqui mentem compescere debebat et regere: corpus autem pondere quidem, non nervis carebat[5]). Sed quem a puero Musae adamabant ita, ut quidquid dicere tentabat, versus esset: otium ante omnia, lectum et umbram colendam duxit[6]). Ab omni igitur cura vacuus, quum domus ampla vitae commoda suppeditaret, totum se dedidit otiosae vitae dulcedinis plenae, quae honesto quoque studio et opera caruisse dicenda esset, nisi Musarum vates egregia carmina reliquisset nulli unquam aetati abolenda. Et erant sane tunc ea tempora Romae, ut Urbs orbis terrarum domina post bellorum civilium strepitum requie tandem et otio frueretur tanquam tot et tantorum tumultuum praemio. Ji prae ceteris qui nobilitate honoribus divitiis paullo supra vulgus valerent, pace aliquando restituta sincere laetabantur, obliti reipublicae, quae nascente Ovidio reapse jamjam ceciderat. Aderat prima post Carthaginem deletam lux, qua tandem perfrui liceret aevo tranquillo et omnibus numeris polito, artibus cujusvis generis excultis, copiis ex terrarum orbe in urbem confluentibus. Atque profecto perfruebantur illis quum Romani tum Ovidius. Prisca, inquit, juvent alios: ego me nunc denique natum Gratulor: haec aetas moribus apta meis[7]). Causam addit prae ceteris hanc: quia cultus adest, nec nostros mansit in annos Rusticitas priscis illa superstes avis.

Erat igitur Ovidius ut ita dicam sui aevi filius neque dum expolitiorem vitam laudibus effert, unquam curat, quanti cultum illum redemerint Romani: si curat, laudat quidem veteres sed suis utitur annis[8]). Nos autem recordari decet, una cum rusticitate illa abiisse et deorum reverentiam et patriae verum amorem et morum constantiam et nuptiarum sanctitatem et amicorum candorem et pietatem et

---

[1]) F. I. v. 81. 637—650. 531.

[2]) Tac. Ann. II. 41 et 26. Fast. I. v. 285.

[3]) Tac. Ann. II. 49. Fast. II. v. 55. qui versus ad Augusti templorum reconstructionem referri non potest, quoniam longum ei inter mortales aevum precatur.

[4]) Hieronym. in Chron. Euseb. ad annum s. I.

[5]) A. II. II. v. 24.

[6]) A. A. III. v. 542.

[7]) A. A. III. v. 121.

[8]) Fast. I. v. 225.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fidem et pudorem et quae sunt ceterae virtutes quae ubique terrarum cum rusticitate solent esse conjunctae. Non est hujus libelli pluribus exponere morum conditionem temporis illius, sed hoc tantum monere, quae de Ovidio dicturi sumus, in omnes fere aequales ejus quadrare. Haec non excusandi causa dicimus, sed hoc tantummodo cavendum duximus, ne quis illum solum corvum inter olores fuisse in animum inducat.

Nulla eum pietate et reverentia erga Deos imbutum esse vix mirabitur, qui aevi illius mores conditionesque noverit. Sunt illi quidem plurimi in ore vatis, sed ita fere semper, ut aut nomina esse sine re frustraque timeri videantur, aut turpe quid et iniquum moliantur. Suam igitur fere sententiam hypothesi illa aperit, qua populum stulta credulitate moveri dicit [1]), sive ut esse Deos credat, utilitatis ratione inducitur: expedit esse deos, et, ut expedit, esse putemus [2]). Nec igitur mireris, hujuscemodi deos pium esse statuere, quodcunque juvet, dummodo sibi, ambitiosae turbae, tura dentur et honores [3]). Eos vero omnibus vitiis praeditos crede. Invidias illis et odia libidinesque et adulteria et perjuria ubique suggerenda putavit. Quemadmodum mundi regimen, quam turpia Deorum numina finxerit, una fabula renarrata docebit.

Phaethon igitur Phoebi curru vectus equos regere non valet, qui terrae appropinquantes solis ardore omnia adurunt. Exterritus Jupiter Phoebum testatur, nisi opem ferat, omnia gravi fato interitura: nec consilio, sed animi impetu motus fulmina mittit in Phaethonta. Servatur quidem mundus, nec vero per Deum omnipotentem, sed eo demum, quod equi exterriti saltum forte in contrarium faciunt. Sequuntur jurgia inter Jovem Phoebumque exorbatum: ipse, inquit hic, currum regat, ut intelligat, non necem meruisse, qui illum non bene rexerit. Precibus tamen minisque Jovis, qui ignes missos excusat, Phoebus movetur, ut habenas ipse arripiat lucemque Deis hominibusque praebere pergat. Jupiter deinde coelum terrasque lustrans, si quid igne labefactum corruat, Atalantam castae Dianae comitem adspicit amoremque concipit. Hac quidem, inquit, potiri licebit ignorante Junone; aut si rescierit sunt o! sunt jurgia tanti! Jndutus igitur faciem Dianae puellam fallit repugnantique vim parat. Quae tristi pectore redit ad chorum Dianae: haec quidem ex mille notis in virgine scelus sentire poterat, nisi virgo fuisset: — Nymphae sensisse feruntur! Quo si addideris, immeritam Atalantam in ursam verti a Junone, paucis Deorum Ovidianorum imagines adumbratas habebis.

Nec vero quod Deos illos undique Romam congestos spreverit, quibus lautiores quoque poetae vitia fingunt hominibus majora, crimini darem poëtae, si modo unquam eum rectum honestumque sequi viderem; at ille laxus erat rationibus et praeceptis, dissolutus moribus, levis denique in vita et operibus. Videamus accuratius.

Primum igitur nil illi sanctum sacrumque erat. Fere nunquam illum studio aliquo et ardore amplecti invenies, si quid sit quod ingenuo et cordato homini sit laudandum, nunquam improbare, si quid honesto bonoque viro sit detestandum: non aequi rectique tutor est et laudator, non iniqui foedique vindex et castigator. Itaque fit, ut ubique in fabulis aeque ac in vita non ab honesta parte stet, sed

---

[1]) A. III. 3. v. 23.

[2]) A. A. I. v. 637.

[3]) Her. IV. v. 133. F. V. v. 298.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

a risoribus. Romanum quidem poetam Romanorum fortia facta interdum laudare, non est quod ita magni facias, neque Caesaris gloriam adulabunde cantatam bono verteris: fabularum autem argumenta ea fere omnia sunt, ut non justitiae speciem, non pietatis opinionem, non virtutis rationem sequatur, sed ut aequum contemnat, pium illudat, bonum negligat. Illi quidem loci perquam rari, quibus Philemonis Baucidisque pietatem laudibus effert additque: Cura pii Dis sunt et qui coluere coluntur: omnia fere versantur in nequitiis libidinibusque nusquam improbatis [1]).

Huic animi vanitati et recti incuriae consimilis erat vita moresque dissoluti. Otiosis esse et laxis vitaque libidinosa temere uti, plerumque fere licere arbitrantur, si qui arte aliqua praestant aut praestare sibi videntur. Hacce vita ingenium ali credunt et caveri, ne communium operum contactu spiritus ille divinus contaminetur. Similiter est de Ovidio.

Commercio multorum vitae artisque sodalium eum usum esse supra diximus; illos convenire solitos esse consilia et opera communicantes, se invicem exhortantes et carmina recensentes. Sic cum omnibus poetis aequalibus se junctum fuisse ipse narrat: nec vero ars et studia literaria res summa erat, sed vita dulcis et otiosa, ad quam ex more temporis illius nonnihil carmina quoque valebant. Quin et Caesar carmina panxerat! Quamquam quod inter sodales nemo fuerit vituperio ab ipso laesus, laus dubia est, quum non recti et severi animi esse videatur, sed laxi et lenti. Quod autem de amicis paucos Ovidii versus vituperantibus Seneca tradit, laudi potius quam vituperio dederim. Petebant illi quidem ab Ovidio ut tres in operibus versus mutaret. Non amplius tribus! Adnuebat poeta, hac tamen lege, ut tres et ipse versus indicaret non mutandos, quumque tabella utraque prodiret quarum, alterâ poeta, alterâ amici ternos versus notassent, iidem versus sunt inventi [2]). Unde perspicias, Ovidium nosse quidem, quid in carminibus vituperandum videretur, sed lusus ejusmodi vitare noluisse. Ceterum, ut hoc quoque leviter tangam, Ovidii de se ipso judicium nusquam superbius est quam omnium cujusvis aevi poetarum. Tituli eum amore tangi, quid magis convenit poetis? Atque ubicunque se ipsum laudat, modus est in laude: quod Metamorphoses opus aeternum seque per omnia saecula victurum dicit, non solita tantum poetarum id temporis verba sunt, sed et vera: illis aeque vera, quibus carmina in exilio facta et ingenio et numero carere confitetur.

Sed non artem magis colere quam vita hilariter perfrui cupiebant juvenes illi Romani: convivia igitur et symposia et oblectamenta quaelibet et voluptates libidinesque quaerebant. Valuisse aliquid inter illos Ovidium facile est cognitu: neque tamen vera inter eos et firma amicitia erat; miserum fere omnes deserebant, quosque paucos fidos appellat, poeticae indolis fautores, non viri amicos jure putaveris. Turba enim illa, quae non hominis, sed Fortunae esset, domum ejus sicut ad candida tecta columbae advolabat ad fruenda vitae commoda. Jocis vero et facundia et multiplici sermonis hilaritate praestitisse Ovidium nemo dubitabit, qui vel mediocriter versatus est in elegantissimi poetae libris uberrimo ingenio excellentibus. Nec non epulas ipsas in deliciis habebat, id quod ex Pontica quadam epistola colligas [3]):

---

[1]) Una tantummodo sed haec sola res est, quae vel aevi ipsiusque moribus turpior videatur, Myrrhae scilicet amor in patrem conceptus: ejusmodi scelus, odio majus, abesse ab urbe gratulatur. M. X. v. 298—502.

[2]) Sen. Contr. II. 10. Ovid. A. II. 11. v. 10. A. A. II. v. 24.; tertius excidit.

[3]) P. I. 10. v. 30.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vini autem ita abstinentem se fuisse ibidem narrat, ut paene meram aquam biberet. Videtur enim vini non ita patiens fuisse, ut et somnum simularet, ne bibere ex more symposii cogeretur[1]). Inter omnes autem voluptates ingens amoris libido notanda; de qua antequam disputem, nuptiae commemorandae erunt.

Prima igitur conjux a patre ei data videtur esse ad mores regendos. Non diuturnum erat connubium, ad quod referendum videtur A. A. II. v. 155: Dos est uxoria lites. Alteram mox duxit, non ita firmam in toro mansuram; qua re adulterium indicari videretur, nisi et sine crimine eam fuisse diceret (quamquam inprimis dubium est, utrum adulterium crimen putaverit) et, si adulterium causa divortii fuisset, ex ipsius lege rusticus videretur, namque Rusticus est nimium quem laedit adultera conjux, Et notos mores non satis Urbis habet[2]). Quare uxorem ipsam connubium solvisse putes. Tertiam denique et aptam et dilectam et fidam fuisse nobis persuadet, si exulis urbem fere magis quam uxorem desiderantis testimonio confidamus. Utut est, neque ejus aevi neque Ovidii morum fuisse pietatem conjugalem, ex tota vita perspicias; quamque levia vincula jugalia habita sint, non divortia tantum docent, sed epistola quoque ex Ponto ad Gallionem data, qua de nuperrima morte uxoris condolescens sperat optatque, jamjam eum felicem esse novo conjugio.

Transeo ad amores. Sunt quidem ex virorum doctorum numero nonnulli, qui Ovidii mores tuendos esse censeant negentque eum Veneri ita multum indulsisse, sed carminibus tantum lusisse quaedam et simulasse. Quoniam nigra sub interpretantium manibus albescere saepe vidimus, nos contra certam ratamque hanc sententiam aperimus, neminem unquam mortalem fuisse, qui in amoribus fuerit versatior, totamque ejus vitam hac libidine regi. Locos quosdam esse, quibus ipse obloquatur, non sane ignoro: sunt autem illi in iis tantum libris, quos exul Romam mitteret, quibusque sui defensoris vice fungeretur. Artibus illis auctoris mores abstinuisse, Musamque solam jocosam, vitam verecundam fuisse obiter commemorat, nec vero tanquam cuiquam hoc persuaderi posse speret. Ridiculus sane auctor esset, qui mediocriter versatus in amando, artem rationemque tradere susciperet: qui hoc modo, quo Ovidius, tradidit non potuit non rei expertissimus et exercitatissimus esse. Ex Arte luce clarius apparet, rem sibi usitatissimam et fere quotidianam fuisse: sed et certa ipsius testimonia addam. Se igitur suae nequitiae poetam et semper amasse et nunc amare: quod impetus antea fuerit, nunc esse rationem, cujus centum sint causae; nec se mendosos mores audere defendere; si amore posito vivendum sit, deprecaturum: qualem denique mortem vitae convenientem putaverit, ex locis infra notatis ipse intelligas[3]).

Sapienti sat. De hisce moribus judicaturi moneantur oportet, homines ejus temporis non ex nostri aevi rationibus et praeceptis esse metiendos. Namque longe alia profecto totius vitae indoles et condicio erat, neque cuiquam probro dabatur, si quis vinculis tenebatur, quae nos cujusdam pravitatis nomine notanda ducimus. Et quod Catullus Lesbiam, Tibullus Glyceram, Gallus Lycorida, Horatius Lydiam, Ovidius Corinnam alio pacto canunt, atque nostratium lyrici solent, neutris neque crimini do neque laudi. Equidem amorem illum toties redivivum, quem nostri poetae carminibus exhalant, eodem modo nostrae aetati, quo nudum et apertum Romanis convenire arbitror. Illum quidem tenerum animorum

---

[1]) R. v. 499. [2]) A. III. 4. v. 37.

[3]) R. v. 7. A. II. 9. v. 25., II. 4. v. 1 et 10., II. 11. v. 36., II. 14. v. 21.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

motum et affectum non nisi posteris saeculis homines noverunt. Quodsi nostri esse moris gratulor, puriorem tantummodo affectus partem aliis et forte nobis ipsis fateri, alia illi saeculo convenisse absque ulla indignatione ethica, quae tam parvo constat, confitendum est. Quamquam hoc quidem indignamur, esse nonnullos in operibus Ovidii locos, qui vel morum illius aevi ratione habita turpes sint et mere lascivi et ab omni sensu poetico adeo remoti, ut taedium lectori et fere nauseam commoveant. In universum autem neque homini neque poetae amores[1]) crimini dandi sunt, sed hoc demum, quod tam immoderate licentia morum usus est, ut libidini usque obnoxius esset, neque, quum maxime vellet, ei se subtrahere par esset, neque quum operam daret, opus quoddam majus amplecti posset. Hoc certe laxi et enervati hominis est et a virtutis opinione quam remotissimum: itaque cortice levior et cujusque in se regiminis expers dicendus est. Atque hujus quidem rei ipsum poenituisse legimus et poenas eum dedisse constat: namque mos ille vivendi in duabus rebus, quas vitae summas dixerim, perniciosus ei erat, in gloria et in voluptatibus. Noverat enim mores mendosos: sed vires deesse queritur in se regendum: odisse crimina, deponere nequidquam se studere. Arcum et ignem ingenii sui vires comminuisse, quotiesque majus aliquid moliatur, Amorem officere: ausurum grandia tener Amor frangit, licet pedibus eum calcet[2]). Itaque vel confitente ipso amores vati offecerunt, quominus paullo majora caneret, neque ut nobiliore spiritu opera componeret passi sunt.

Nec gloriae tantum obfuerunt, commoditatibus quoque vitae eum privaverunt. De exilio sine dubio intelligendum est. Quaenam exilii causa fuerit?

Artem non veram exilii causam esse, sed simulatam, toto libro Tristium secundo exponit Ovidius, idque nobis facillime persuadet. Ut enim cetera quaeque omittamus, decem annis post editam Artem relegatur, eamque Augustum nosse negat; diserte etiam sub Arte latere dicit causam[3]); verae errorem, non scelus subesse[4]), sed factum silendum. Augustus autem tristibus in eum verbis invectus offensas suas ultus est, quae vulnera quoque dicuntur[5]). Non senatus decreto, non judicio utendum duxit, sed edicto Principis: neque exilio sed relegatione eum puniendum, neque civitate opibusve privandum[6]). Unde sequitur, Ovidium nil commisisse contra rempublicam, neque Principem Augustum laesisse sed hominem. Quodsi crimen non publicum erat, sed privatum, idque sileri vellet Augustus, verisimile est, de re quadam pudenda intelligendum esse, quumque eodem ipso tempore[7]) Julia neptis propter vitae obscoenitates relegaretur, Ovidii crimen eodem referendum esse multi sunt suspicati; idque ab omni parte maxime esse verisimile demonstrabimus.

Plectitur igitur poeta quia inscia lumina crimen viderunt[8]): quale crimen viderint, ex collato Actaeone concludas, qui et ipse inscius vidit sine veste Dianam; huc adde quod scelere quidem, non

---

[1]) Non sola libidine illos contineri, et corporis aliquid pluris habendum, non forma sed moribus amorem conciliandum, et pectus ingenuis artibus colendum esse docet: rei summa vero ad libidinem redit.

[2]) A. II. 1. III. 1. II. 18. v. 3. III. 11. v. 5. P. III. 3. v. 33.

[3]) P. II. 9. v. 76. [4]) T. II. v. 107.

[5]) T. II. v. 144. 209. Observavit Masson, Silani cum Julia nepti adulterium eodem verbo Augusti offensiones appellari Tac. Ann. 3. c. 24.

[6]) T. II. v. 131. sqq. [7]) Masson pg. 88.

[8]) T. III. 5. v. 49., II. v. 103.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pudore culpa carere dicitur [1]), et vita nonnisi novissimis peccatis pudenda [2]), quodque Amor ipse cetera quidem, non haec defendi posse dicit [3]). Atque Augustus etiam, qui Artem tanquam causam publice profiteretur, qua doctor adulterii esset Ovidius, ineptus videretur, si vera causa ab hacce simulatà genere diversa fuisset, praesertim quum vera omnibus notissima esset [4]). Eadem ratio vetat, quominus ad Augusti ipsius personam crimen referas, atque ad feminam sine dubio spectat Diana in comparationem vocata (qua re tecte monebat, Actaeonis majorem esse culpam, quum castae Deae pudori offecisset, quam suam, qua non ita severae puellae lasciviae adfuisset). Ejusmodi ergo culpa, qua tam vehementer commoveretur Augustus, ad aliam spectare vix poterat quam ad Juliam libidinosam. Num casu ejusdem orgiis intererat? hoc eo minus Ovidio, Augustum exoranti, credas, quod alio loco [5]) fatetur, si hoc quoque secretum amico communicasset, se salvum futurum fuisse, namque malum cavendo evitari potuisse; amicum, credo, dehortaturum fuisse, quominus orgiis, ad quae vocaretur, interesse vellet. Ut vocaretur, carminibus vitaeque debuisse putandus est: adsciscebatur tanquam amoris cujuslibet rebus et ratione expertissimus; idem latere arbitror versu illo: Carmina fecerunt, ut me cognoscere vellent Omine non fausto femina virque meo [6]). Atque quum orgiorum particeps deprensus esset, Augustum quaesisse non absimile veri est, qui Ovidio aditus patefactus esset, causamque propter carmina nactum, eorum eum nomine punivisse. Hoc igitur modo Musa vatesque juncti criminis rei acti sunt [7]). Quod tam acriter in eum Princeps inveheretur, et aetati poetae tribuas, qui prope senex adolescentium lasciviae se immiscuisset, et summae irae et dolori, quibus commotus non Juliam tantum relegaret villamque ejus splendidissimam diruerat, sed saepius etiam nuptiarum se poenitere diceret, ex qua Julia neptis procreata esset, nequidquam tam severe educata [8]).

Haec quidem nobis et probabilia videntur et simplicia; quid Leutschii chartae et fallaciae dolique [9]) sibi velint, enucleare nequivimus, totaque ejus de crimine poetae expositio Ovidio ipso obscurior est. Sed haec hactenus.

Exilio igitur mores quasi malorum igne spectandi erant et periclitandi. Si quis forte de effeminati viri inanitate et ignavia dubitet, lectis exulis operibus dubitare desistet. Miserabilius morum testimonium cogitari nequit. Omne solum forti patria est: sed quid Ovidio cum fortitudine? Animus omnia vincere potest, et malis succumbere mens indignetur: hi quidem loci hoc tantum ostendunt, videre poetam

---

[1]) T. V. 8. v. 24. [2]) P. II. 2. v. 108.

[3]) P. III. 3. v. 71. [4]) T. IV. 10. v. 99.

[5]) T. III. 6. v. 11. sqq.

[6]) Cur Heinsius eumque secutus Weise hocce distichon genuinum esse neget, causam neque profert neque habet. Quod aliquot locis Ovidius Artem veram causam fuisse dicit, aut hoc modo explices, quod ob Musae protervitatem Juliae innotuerat, aut quod Augusti ratio hoc jubebat, aut personae, ad quam scribebat sicut T. III. 7. ad filiam.

[7]) T. IV. 1. v. 26. [8]) Suet Oct. c. 64. 65. 72.

[9]) Ersch. et Gr. s. v. Ovid pag. 49. Es sahen sehr Viele die Möglichkeit vorhanden, compromittirt, gestraft zu werden. Es entstand hieraus, wie natürlich, eine Intrigue über die andere . . . . die Gefährten Ovids bemächtigten sich auf kühne Weise eines Papiers oder mehrerer Papiere, welche sie für ihre Pläne und ihr Heil für wichtig hielten, er selbst wurde dadurch Mitwisser eines Geheimnisses, welches als ein unglückseliges oder wenigstens sehr wichtiges August vor Jedem verborgen wissen wollte. Die That ward entdeckt und als Thäter ward, vielleicht grade durch jene Mitwisser, Ovid angegeben.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

meliora et probare, ceteri omnes totumque Tristium et Epistolarum ex Ponto opus demonstrant, deteriora eum sequi. Namque elegiae illae eandem omnes flebilium querelarum cantilenam canunt: sum miser, haec brevis est nostorum summa malorum. Neque resistere malis valet, immo ne conatur quidem, sed flendo flectere fortunam; Augusto non fortiter irascitur, sed indigne adulatur, et amicos uxoremque miserabiliter exorat, ut Principi supplicent; nec Musae solamini sunt animumve erigunt, sed querelas precesque decantant. Itaque licet ex ipsius verbis [1]) Ovidii fortuna carnifici flenda videri possit, equidem nulla tam ignavi et timidi et effeminati viri misericordia moveor.

Sic per omnem vitam Ovidius et ignavus et libidinosus et inanis et cujusvis virtutis expers fuisse judicandus est: neque Musarum sacer vates habendus, sed ingenii splendidissimi levis lusor. Indolem ejus egregiam, mentem uberam et imaginationem, versuum componendorum eximiam artem, orationis summam facundiam alteri potius viro, moribus candido et nobili, Virgilio forte, contigisse optares.

Antequam de virtutibus hisce poeticis disseramus operum argumenta breviter exponemus, quibus vita moresque adeo offecisse diximus, ut aequi bonique ratio et nobiles animi affectus et cordati pectoris impetus divinus ubique desiderentur.

III. De operum argumentis.

1) Amorum libri III. Amori igitur, omissis bellis armisque vatem se dedit (I. 1.). Agedum, Cupido, necte comam myrto, maternisque columbis vectus triumpha! Currum Mens Bona et Pudor et quidquid amori obstat, vinctis post terga manibus sequatur: pompa sint puellae puerique capti, Blanditiae tibi comites et Error et Furor. Vulgus Jo triumphe! clamabit, deque Olympo Mater laeta plaudet spargetque rosas. Tu vero gemmis pennas capillosque ornatus aureo curru aureus ipse veheris, sicut Gangetide terra domita Bacchus (I. 2.). Atque haec quidem triumphi dulcis imago, venustate vix Bacchico illi (M. IV. in.) cessura, tanquam Amorum prooemium posita est a poeta, qui non vita tantum sed carminibus quoque rosas carpit et candentia lilia, eaque in coronae sertique morem hisce tribus Amorum libris nectit.

Laetitias et dolores variosque illos amantium casus animo versibusque laetis et vegetis canit. Sive igitur juncti cum Corinnae [2]) amoris dulcedinem cantat (I. 5.), sive tabellas, quae aditum negantes redierint, devovet tanquam ceram a cicuta apes legerint lignumque arboris sit, quae nidos vulturibus, bubonibus umbras dederit (I. 12.): sive invidiosae puellae per Venerem puerique volatilis arcus adjurat, se non Cypassin, illius ornatricem, amare, proximaque elegia (I. 8.) hanc alloquitur: Dic age, Cypassi, per quem rescierit Corinna? equidem per Venerem pejeravi, tu igitur hodie dulce pretium repende: nusquam non dulce quid et hilare et come cantantem poetam audis. Sunt et inimicitiae amantibus, cum janitoribus quidem puellas servantibus lenisque male iis suadentibus. Janitor, inquit, exiguum est, quod precor: Tempora noctis eunt, excute poste seram! Sic aliquando dura catena releveris, sic servam

---

[1]) T. III. 11 v. 37.

[2]) Non Caesareae puellae hocce nomen subditum fuisse, ut videbatur Sidonio Apollinari, jam Aldus Manutius ostendit et Masson (Burm. Ov. IV. pg. 86). Quae fuerit, nil attinet quaerere, siquidem jam Ovidii aequales nequidquam hoc rogabant (A. A. III. v. 538.) atque adeo puellae erant, quae se esse Corinnam circumferrent (A. II. 17 v. 29).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aquam bibere desinas: Tempora noctis eunt, etc. Non ego hostis nec militibus comitatus adsum: Amor mecum est et modicum circa mea tempora vinum et corona lapsa capillis: Tempora noctis eunt etc. Fallimur? an verso cardine postes sonuerunt? Fallimur! animoso vento janua impulsa est. Age igitur Borea, raptae Orithyiae memor, fores tundito: Tempora noctis eunt etc. An ego face tecta superba petam? Nox et amor vinumque nihil moderabile suadent, illa pudore vacat, Liber Amorque metu. Nec precibus te nec minis moveo? o durior foribus tuis! — Jamjam Lucifer pruinosos axes molitur et miseros omnes ad opera gallus excitat. Tu demum corona, capillis detracta, abeuntis amorem dominae testare (I. 6). —

Inter optimas illa quoque elegia referenda, qua Auroram increpat, quae ante tempus super Oceanum ascenderit. Invida quo properas? Nimirum a seniore viro surgis: tu quoque, si Cephalum tuum amplexa esses, lente, clamares, currite, equi nocturni! Sed cur mihi succenses? Num me conciliante seni nupsisti? Jurgia finieram; scires audisse; rubebat. Nec tamen adsueto tardius orta dies (I. 13).

Ejusmodi igitur amorum argumenta sunt. Viderint morosi; nos eas tanquam venustas tabulas vigoris cujusque et coloris plenas, non hilari tantum animo sed numerosis etiam et politis versibus confectas summa laude esse dignissimas profitemur. At quasdam esse ex earum numero, quae nil nisi obscoenum sonantes cujusque virtutis poeticae sint expertes, nemo quam nos acrius notandum ducit. Exempla sint II. 13. 14. III. 7: in iis Ovidius gloria hoc genere poeseos adepta justo magis captus, nil sibi non licere credens adeo animi protervitati indulsit et a quaque ratione poetica adeo recessit, ut turpia et foeda et mere obscoena carmina ediderit, quae nullius non animum sensumque turpiter laedant.

De universo Amorum genere hoc etiam dicendum, eos, licet suo genere sint praestantes, tamen ab illa, quam nos tenemus elegiarum notionem, discedere hac re, quod unum tantummodo amoris sensum exhalant, aliorum affectuum expertes. Suo quidem jure Ovidius amantes mirari dicit, a quonam indice doctus poeta suos ipsorum casus composuerit (III. 1. v. 10): neque vero quidquam est praeter amorem usque sui similem, quod pectora dulcedine aliqua et ut ita dicam pietate imbuat et percellat. Catullus quidem et Tibullus et Propertuis affectibus movendis Ovidio multum sunt anteponendi. Dicat aliquis, Amores quidem scripturus erat Ovidius: scripserit: mihi vero casus quidem amantium multiplices, sensum amoris nullo modo variatum sed aliquatenus ubiquam frigidum finxisse videtur. — Quamquam duae sunt elegiae alium animorum affectum exhalantes. Est enim libri III. elegia IX. in Tibullum threnodia atque praestantissima quidem. Nunc flebilis Elegia capillos solvit, nunc Cupido eversa pharetra alisque volat demissis: nunc Venus ipsa luget moriente Tibullo. At sacri vates Deûmque cura vocamur: sacrum omne mors profanat. Orphea et Homerum summa dies in Tartara misit: opera tantummodo durant: manet Jlias et Penelopeia: manent Tibulli Nemesis et Delia. Vive pius, moriere pius [1]); cole sacra, colentem a templis mors ad cava busta trahet: carminibus confide: jacet ecce Tibullus. Sed si de nobis aliquid praeter nomen et umbram restat, in Elysia tibi valle Catullus, hederâ juvenilia tempora cinctus obvius ibit, tuque pius inter pios manes recipieris. Ossa quieta precor in urna requiescant cinerique humus non onerosa esto.

---

[1]) Merkel non recte interpunxit: vive pius, moriere. pius cole sacra, colentem etc. Et sensus et caesurae ratio alterum pius cum antecedentibus conjungendum suadet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hancce igitur elegiam laude dignam censeo: sed altera (II. 6) neque poetae ingenio aequa, neque metri gravitati conveniens. Psittacum Corinnae mortuum ut lugeret, Catulliano illo passere non dubito quin commotus sit. Sed ut Catullianum illud carmen suavissimum est et dulcissimum et mollis cujusdam quasi misericordiae specie indutum: sic Ovidianum nil nisi verbosum et cujusvis affectus expers et inprimis frigidum est. Pauca sint documento. Catullus igitur Veneres Cupidinesque et venustiorem quemque invocat ad lugendum, quoniam passer, deliciae suae puellae, occiderit, quem plus oculis suis Lesbia amaverit: Ovidius avium turbam plangere pectora pennis et rigido ungue teneras genas notare jubet, quoniam Psittacus rara avis mortuus sit. Catullus summam passeris cum puella familiaritatem pie commemorat: Ovidius colorem et rostrum vocemque et ciborum modestiam frigide laudat. Catullus orci manes bella quaeque rapere breviter arguit: Ovidius miluum noctuamque vivere, loquacem Psittacum occidere queritur, et leve carmen gravitate comparati Thersitae et Protesilai, quin et Hectoris, onustat. Ovidius ex tumulo colligi docet, loquacem avem Corinnae placuisse, Catullus leniter ad puellae lacrimantis dolorem redit. — Sed haec hactenus: ad epistolas transeundum.

Epistolarum sive Heroidum (A. A. III. v. 345 Priscian. X. 9. 54.) Ovidii nomine inscriptarum viginti habemus et unam. Quoniam in Amoribus (II. 18.) novem tantummodo commemorentur, et alio quidem ordine, quumque Ovidius post scriptam illam elegiam heroidas etiam componere potuerit, nec non alii, Sabinus certe, epistolarum Ovidianis respondentium auctor, id genus imitati sint: critici multum sunt in venationibus et retia tendunt hi spuriis, illi genuinis epistolis; quarum quot quisque deprehenderit, cave ne cuiquam credas. Namque divinum illorum acumen, qui ex subtili scriptorum censura et linguae stilique discrimine hoc illud opus huic illi auctori aut abjudicent aut adjudicent, admirari dudum dedidicimus, quum magniloquentia et insignis confisio multo magis sint mirabiles. Certo demonstrare hanc illamve epistolam esse Ovidianam, nunquam licebit, nam quod deprehendere nobis videmur tanquam auctoris proprium, id ipsum sollerti imitatori deberi aeque fere semper est probabile: certo negare, hanc illamve ab eo esse compositam, opinione perquam difficilius puta, siquidem in cujusvis fere poetae operibus carmina quaedam sunt a ceterorum compositione et dictione adeo abhorrentia, ut alterius videri possint, id quod minus fere attendimus, quum suspicio orta non est. Quodsi in epistolis Ovidio abjudicandis critici versantur ita, ut verbis quam fortissimis, rationibus quam levissimis utantur, nobis recordari licebit, quantum arbitrariae isti divinationi praestet Socraticum praeceptum, ne quis quae nesciat se scire autumet et profiteatur. Illa quidem magniloquentia, qua absurdas et ineptas hanc illam dixerunt, eo minus commoveberis, quod fallacis judicii documento egregio est epistola XV, quae Jahnio „praestantissima", Leutschio „pessima", Lachmanno et Merkelio aliis quibusdam „aliquanto quidem minus absurda, indigna tamen aequali quovis Nasonis" videtur. Itaque ille genuinam eam habet, hi spuriam. Loco illo supra laudato Ovidius de suis commemorat, quae in nostris libris leguntur I. II. V. XI. VI. X. IV. VII. XV., et Sabini ad I. IV. VII. II. VI. XV. responsorias; nihilominus XV, quae in variis codicibus vario loco legitur, in discrimen vocatur. Sunt autem res quaedam causaeque, quae pro argumentis esse possint, eam re vera esse ab Ovidio scriptam. Dicitur enim A. II. 18. v. 34: Det votam Phoebo Lesbis amata lyram, i. e. post lectam Phaonis epistolam Sabini, id quod sine dubio respicit ad illum Ovidianae ep. locum, quo Sappho lyram Phoebo votura est, ut de scopulo Leucadico desilientem se tueatur: nunc vero amata jubetur lyram dare Phoebo. Porro XV. versum 38: Et niger a viridi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

turtur amatur ave, psittaci memor scripsisse videtur Ovidius, de quo viridi turturis amico A. II. 6 plures versus leguntur. Per se enim versus ille obscurior: poetae illius elegiae memoriâ suppeditatus videtur esse; imitator sine dubio psittaci nomen quoque posuisset. Equidem cum pace criticorum ep. XV. non scriptam tantum ab Ovidio sed eodem fere tempore scriptam esse confirmaverim, quo Am. II. elegiae IV. V. VI. Commemoratur enim Am. II. 18 inter heroidas postrema; itaque non absimile veri est, eam et priores ejusdem libri elegias tempore esse proximas, idque hac ratione inducor ut credam. Primum el. IV. de se ipso puellas quaslibet amante vate dicit, quae est simillima vati Lesbidi conditio; deinde singula quaedam conferenda: A. II. 4. v. 26. Oscula cantanti rapta dedisse velim Ep. XV. v. 44. Oscula cantanti tu mihi rapta dabas. v. 10. Centum sunt causae, cur ego semper amem, v. 80. Et semper causa est, cur ego semper amem; v. 40. fusco grata colore Venus v. 36. patriae fusca colore suae. Cf. praeterea cum Am. II. 5. v. 22. et 24. Ep. XV. v. 182. et 130; et ex Am. II. 6 psittacum, de quo diximus. Nobis igitur epistola haecce ab Ovidio bis commemorata sine dubio genuina videtur esse; in illa si quem sollicitat, quod v. 173 syllaba brevis sit producta, similes locos sat multos infra legat, quum de licentiis poeticis disseretur. Ejusmodi enim licentias pro causis ponunt critici, quare hanc illamve epistolam Ovidio abjudicent; equidem ob eas ipsas Ovidio epistolas attribuerem, quoniam ab illis facile abstinere poterat imitator et volebat. Adde vero quod quae tanquam non Ovidiana deprehendunt Lachmann Leutsch et Merkel, certis exemplis confirmari possint: hiatus in nominibus propriis admissi exempla infra leges, illi vero eundem notarunt ep. IX. vv. 131. 133. 141. et VIII. v. 71: Castori Amyclaeo et Amyclaeo Polluci, cui versui conferas M. V. v. 312. Virg. Georg. I. v. 437. Praeterea syllabae arsi productae notantur et nihil utraque syllaba correptum; sed „de nihilo nihil est“, quum eadem prosodia legatur T. V. 8. v. 2. T. V. 5. v. 51. M. XIII. v. 266. Quare nos ejusmodi rebus causisque nil demonstrari dicimus, quumque codices omnes[1]) Ovidii nomen exhibeant, Ovidianae habendae sunt donec quid novis melioribusque testimoniis innotescat. Atque novem illae sine dubio sunt Ovidianae[2]), neque de ceteris ulla justa suspicio est, nisi forte quod sex ultimae responsoriae sunt: eas vero ab Ovidio serius post Sabini mortem scriptas esse non male suspicatus est Jahnius l. l. De compositionis stilique virtutibus et vitiis rectissime judicavit Bähr h. lit. pg. 98, tantum nihil discriminis inter singulas epistolas deprehendi, neque ullo jure inde quidquam quasi spuriarum suspicionis enucleari posse. Merito autem earum elegantia et nativa simplicitas et lepos laudantur: lusus vero rhetorici interdum molesti sunt, heroidumque Graecarum mores et verba non suae aetati conveniunt, sed Romanarum mulierum conditioni. Quam apte tamen et idonee pro uniuscujusque fortuna casuque argumenta tractaverit poeta, licet omnes epistolae amantium sint ad perfidos fidosve amatores scriptae, paucarum relatio docebit.

---

[1]) Unus Palatinus et ed. Veneta anni 1487. ep. XVII. Sabino attribuunt, quoniam Sabinum responsorias confecisse constabat. Jahn Ovid. Lips. 1828. 32. Introd. ad Her.

[2]) Leutschius XII. ep. Medeae ad Jasonem hisce novem annumerat, quia Ov. de epistola dicit, quam male gratus Jason legat; haec vero VI. ab Hypsipyle scripta est, cui Sabinus respondit A. II. 18. v. 33; illi et ipsi ingratus erat Jason; sive etiam „male gratus“ sic interpretandum, ut Jasonis erga Medeam gratia male cedat Hypsipylae; hoc modo „male“ usurpatur Met. IX. v. 190. X. v. 438. v. 503, ut vis negativa absit et affirmetur aliquid, quod damno fuerit. Neque profecto in suis epp. commemorandis eam epistolam omisisset, ad quam Sabinum respondisse dicit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Oenone igitur (V.) nympha Phrygiis celeberrima silvis de Paride queritur Helenae raptore: Te ego magni fluminis filia, servo nympha, contentus eram: saepe inter greges arbore tecti requievimus, herba torum praebente. Saltus tibi venatibus aptos ferarumque cubilia monstrabam et retia tendebam. Arbores nomina mea a te incisae servant et populus margine ripae consita hoc in nodoso cortice carmen habet:

Quum Paris Oenone poterit spirare relicta
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.

Age igitur Xanthe, retro propera, Oenonen Paris deseruit! Heu diem illam, qua tres Divae in arbitrium tuum venirent: gelidus per ossa mea tremor currebat, rem te mihi narrante; senes anusque omnes consului et per omnes nefas id esse constat. Quum discederes, vento te teneri dicebas, licet ille secundus esset: at redeunti Helena in sinu erat. Non me opes Priamive regia tangit, nec tamen illis nympha indigna sum; meus amor tutus: armis Tyndaris reposcetur: num fida tibi illa, temerato Atridae lecto, futura? laesa pudicitia nulla arte reparabilis. Nonne Cassandra olim canebat

Graja juvenca venit, quae te patriamque domumque
Perdat: io, prohibe, Graja juvenca venit!

Ego non arma cruenta Danaorum fero: dignae miserere puellae: tecum ego puerilibus annis fui, et in omne aevum esse precor.

In Laodamia (XIII[1]) pro Protesilao timente insignis est simplicitas, qua Dyspariu Priamiden increpat, et Protesilaum monet, ut ipsi sibique parcat.

Hectora nescio quem timeo: Paris Hectora dixit
Ferrea sanguinea bella movere manu
Hunc ubi vitaris, alios vitare memento,
Et multos illic Hectoras esse puta.

Ex fato quoque, qui primus Danaum Troada tangat, interiturum audio: tua igitur inter mille rates millesima puppis esto, deque navi novissimus exito. O si militiae facta splendidissima aliquando narrabis, et quamvis audire juvabit, oscula tamen multa et dabis et capies. Sed quum Troja subit, pericula quaeque animum subeunt: O si comes tibi esse possem! dum non licet, si tibi cura mei, sit tibi cura tui! —

Ars amandi praestantissimum poetae opus et habetur et est. Mores in eo Romanorum tam scite et perite, tam facete et eleganter, tam ornate et copiose depinxit, animorum sensus et affectus subtiliter et acriter observatos tam dilucide ante oculos posuit, orationem denique versusque adeo polivit, ut cetera quaeque scripta ingenio et arte multum superet. Atque in universum carmina amatoria ceteris anteponenda sunt, id quod ipsius judicium probare videtur, quum duobus locis (T. IV. 10. v. 1. III. 3. v. 73.) summam in iis gloriam ponere perspicitur. Carmen didacticum est Ars, nec vero finis fuisse videtur, ut doceret, quod quisque non ignorat, sed ut delectaret lectorum animos et quasi

---

[1]) Hancce et XVII. Macro tantum non adscribendam esse dicit Merkel Ovid. pag. XI. ex Ov. A. II. 18 v. 37; sed quod ibi a Macro amores quoque tractari dicuntur, inprimis Helenae et Laodamiae, ad opus illud referendum, quo carmen ad iratum Achillem deducenti earum mentio facienda erat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quodammodo ipsorum casus referens hilari quadam dulcedine afficeret. Disponitur autem argumentum I. v. 35—40. ita ut doceatur primum, quomodo sit inveniendum et eligendum, quod ames I. v. 40—265, deinde quasnam per artes sit capienda puella I. 265—772., tertium ut longo tempore duret amor II. Hoc igitur ipso teste argumentum tractandum sumsit: tractato librum III. adjecit, quo puellis praecepta tradit; postea etiam Remedia amoris. Docet igitur in theatris, quo spectatum veniunt veniunt spectentur ut ipsae, in Circo, ubi per publica verba socii sermonis origo quaeratur et pulvere excutiendo (et si nullus erit pulvis, tamen excute nullum), et Bajis etiam amorem auspicandum esse, unde multi vulnere accepto reversi dicebant: non haec, ut fama est, unda salubris erat. Inter artes prima fiducia est, et temporis ratio, laeti inprimis, namque Ilios quoque, donec tristis erat defensa, laeta capta est; nec non munera valent et eloquentia et corporis cultura modica et promissa blanditiaeque: credi nullus labor, nam sibi quaeque videtur amanda. Tertium summa sit cura retinendi amoris: nam et levis est et habet geminas quibus avolet alas. Carmina herbaeque et formae fragile bonum inania sunt: amabilis esto et corporis aliquid pluris habeto et pectus per ingenuas artes excolito. Tertio libro similia puellis praecepta tradit, meretricia plerumque: sub finem utriusque libri nil nisi obscoenas res tractat. Remediorum praestantissima sunt itinera et agricultura et venationes: aut si Romae remanendum, forum legesque et amici: namque otium ante omnia fugiendum. Sanum te simulando et dotes puellae in pejus flectendo culpamque fingendo facillime vinculis solveris: quae fortiter subito rumpere conatus semel dedolueris.

Satis hisce ex proposito nostro Artis Remediorumque argumenta significata videntur. Eorum quasi parergon Medicamina faciei sunt; namque quum in illis nonnihil etiam valeat formae tuendae cura, inter ipsum grandius opus haecce medicamina tractanda sumsit, quibus difficilius et a Musis alienius vix quidquam reperiri potest. Itaque quasi probaturus, nil suae in componendis versibus arti nimis arduum esse et durum, ab omnium rerum cultura exorsus primum morum tutelam commendat puellis et probitatem: nam „formam populabitur aetas.“ Subito deinde (plura deesse videntur post v. 50) transit ad medicamenta candorem efficientia; jamque formularum more pharmacopolarum praecepta sequuntur de medicaminum mixtura modoque. Non amplius centum versus extant, id quod nemo dolebit, quum futile et inane opus sit.

Metamorphoseon libros quindecim corpora per omne aevum mutata tradere notissimum est. Praeiverant in hocce genere Graeci plerumque scriptores, inprimis Nicander et Parthenius: de barbaris dubia res est: certe quod ex Hebraeorum libris historicis paradisum (auream aetatem) Sodomaeque incendium (mundum per Phaetontem adustum) sumsisse dicitur, ejusmodi hominum commenta sunt qui Virgilium ecl. IV. Christi adventum canere somniant. Ovidium autem argumenta ex fontibus sumta liberius tractasse eique fabularum narrationem ornatumque, non illis, deberi, loci quidam ostendunt quorum fontes novimus. Atque in universum Ovidius is erat, qui ex sui ingenii copia aliorum imitationem aspernaretur; quaeque in operibus tanquam aliena deprehenduntur parvae levesque res sunt certo plerumque consilio mutuatae. Sive enim „id egit ut et materiae et verborum ornatu alios vinceret“ (Jahn pg. 22) ut Thucydidem in peste describenda, Theocritum in Polyphemo, Catulli passerem Psittaco, sive aliorum versus aut honoris causa, aut ut agnoscerentur suis operibus inseruit. Pulcherrime in Tibulli thraenodia A. III. 6. v. 58. ejusdem poetae versum de Nemesi posuit (Tib. I. 1. v. 60.),

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et quasi per jocum eidem interroganti, cur et ubi Nilus caput occuluerit, simili versu respondit (M. II. v. 254. Tib. I. 8. v. 23.)[1]) Ceterum quidquid undique de corporibus mutatis ipsi innotuerat, eum operi intexuisse inde concludas, quod variis locis fabulae commemorantur quas hic ille narrare poterat nec tamen narrat; sic Pan aliquot mutationes narrasset, nisi Argus somnum jamjam cepisset, sic Alcithoe ejusque soror variarum recordantur ex quibus suam eligunt, sic quum ad finem opus decurreret, Pythagorae doctrina commemorata XL. fere mutationes raptim enarrantur XV. vv. 272—430.

Orditur autem poeta totum opus a prima origine mundi ad sua tempora carmen perpetuum deducturus. Initium igitur certum est certusque finis: cetera cuncta fluunt; namque ordinem, temporis aut terrarum ratione definitum, non nisi laxe obiterque observatum crede, totiusque operis oeconomia mere fortuita est. Modo breviter, modo copiose fabulae narrantur, neque quidquam de opere detraheretur, si ordo et series prorsus et plane permutaretur. Non sane ignoro, plerosque fere mirari solere, quam bene quamque ingeniose fabulae una alteri contextae sint et adjunctae: mihi vero minimae artis esse videtur, ejusmodi artificiis uti, quibus illae inter se connectuntur: quae quidem jocum risumque interdum movent, quod tam ridiculo deflexu in novam subito fabulam traducti magis sumus quam traducimur, nec vero ita magna laude sunt digna. Concedimus Jahnio, nectendarum fabularum difficultatem multimoda orationis artificia requirere: sed id ipsum, quod requiruntur, toti operi vitio est dandum, veniamque potius, quod aliqua non mala invenerit, poeta meretur quam laudem. Neque vero iis de operis unitate et perpetuitate cuiquam persuaserit: ego certe, licet plerique dissentiant, Metamorphoses cum Friderico Magno non opus absolutum sed artificiosam fabularum farraginem dixerim. Accedunt enim in ipso earum connexu vitia quaedam egregia: modo enim fabulae complures subinde subjunguntur et narratis multis et diversissimis ad longe priorem reditur ita, ut lectorem nexus non possit non fugere et latere: modo tam inepte conjunguntur, ut ratio illa in triviis nota, qua quis novam nuntians imaginem dicit: „Jo altera!“, aliquantum anteponenda videatur. Sic pavo nuper mutatus est: aeque nuper corvus; sic Byblidos in fontem conversae fama forsitan Cretaeas quoque centum urbes implesset, si non Crete ipsa miracula tulisset puellae in puerum conversae. Ab illius nuptiis Hymenaeus in Thraciam abit, ubi Orphea voce nequidquam invocatur; ideoque Eurydice moritur, quam Orpheus ab inferis repetit, namque saxa arboresque eum sequebantur, inter alios Cyparissus, qui aliquando puer erat. — Sed ut singularum fabularum nexum non ita magna laude dignum judicamus, sic hac laude carere posse auctorem putamus, siquidem non compositione totius operis, sed singularum fabularum virtutibus excellit. Pleraeque enim eleganti rerum personarumque et affectuum descriptione, nec non orationis summa facilitate varioque colore sunt insignes. Exempla proponere nolui, quum et notissimae sint, et breviter relatae nil nisi rei summam exhiberent, quae quidem non ab Ovidio est inventa sed aliunde depromta. — Summam auctoris manum operi deesse scimus: quaenam rudis carminis vitia emendaturus erat, si licuisset? In universum non amplificandi sed coercendi vice fungendum erat, id quod non ad singulos tantum versus spectat, quibus idem saepe verbis fere iisdem repetit, sed ad quaedam etiam compositionis vitia. Sic Apollinem, licet Deus sit, inter citissimum cursum orationem habere viginti versuum,

---

[1]) Similis ratio est A. A. II. v. 267, Virg. Ecl. II. v. 52; A. A. II. 506; Hom. Od. VIII. v. 266; A. A. II. v. 115 V. Ecl. II. v. 117; A. A. II. v. 187 Propert. I. 1. v. 11.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

molestum videtur nec veri simile, sic Phoebi dehortationes, ne Phaethon curru potiatur, per L versus aegre decurrunt, sic adusti mundi descriptio C versibus exarata displicet, sic canum Actaeonem persequentium XXIII nomina habent aliquid putidi. Polyphemi autem ad Galateam carmen falso vituperari dixerim. Incipit quidem ita (XIII. v. 789): Candidior nivei folio, Galathea, ligustri, atque per XXV comparativos virtutes puellae et vitia notare pergit: sed vasto et inculto Cyclopi rude et rusticum carmen optime convenit. Ursas porro ad ludendum pollicendo, corpusque suum ingens superbe laudando, Acidique aemulo minitando, se viscera viva tracturum divulsaque membra per Galatheae undas (sic se illi misceat!) sparsurum: ejusmodi carmine puellam exorare absurdum quidem est; sed et esse debebat: nec est igitur, quod comparativos illos, versibus politissimis cumulatos ullo modo vituperes [1]). — Errores vero aliquot physicos geographicos historicos aevo potius quam poetae tribuas non minus quam etymologias illas in Fastis propositas, quae nobis quidem ridiculae videntur. Denique licet hoc illudve in singulis fabulis versibusque emendare voluisset, pleraque quidem, quae nos emendanda diceremus, Ovidii adeo propria sunt vitia, ut in omnibus operibus occurrant: quare hoc loco haecce praeterimus.

De Tristium et epistolarum ex Ponto libris recte judicabimus, si ad omnes pertinere dixerimus, quod de Tristium libro quinto Ovidius confitetur: Invenies toto carmine dulce nihil. Non enim ipse ulmi instar est, quae Jovis fulmine tacta vitibus tamen onerata sit, neque tanquam quercus adusta viret: sed ignavi fractique animi miseras femineasque querelas tam moleste easdem semper repetit, ut ab aequalibus jam moneretur, quum toties eadem diceret, vix ulli ipsum audiri. Sive igitur Ponti frigora horret hostiumque pericula pertimescit, sive uxoris fidem laudat et amicorum, sive de aliorum perfidia queritur, sive Augustum flebiliter implorat: carminum summa ad miseram ipsius fortunam redit: quidque epistolae illae, quas gemmâ ad madidas genas relatâ signabat, contineant, facile suspiceris. Poeta tanquam nauta procella jactatus victus sequitur, non regit arte ratem. Itaque licet propter miram Ovidii sollertiam vel in hisce libris loci quidam pulchri inveniantur, nemo tamen ipsi obloquetur fatenti, carmen pauperiore vena fluere siccumque sibi sterili vomere littus arari. De argumento commemorare satis erit, praeter perennes querelas tempestatis imaginem legi T. I. 2 et 4, supremam in Urbe noctem T. I. 3, itinerarium T. I. 10, apologiam ad Augustum T. II., vitam T. IV. 10, episodium de Iphigenia P. III. 2, Getici carminis argumentum P. IV. 13.

Epistolis ex Ponto annumerandum est Ibidis carmen malum et obscurum et inane. Diras enim Callimachi exemplo alicui, qui misero offecisset, imprecatur „immemores ne nos esse querare tui". Mortem illi et mala quaeque vovet ut hic et ille misere periit; et haecce particula ut sexcenties repetita nova semper aliorum mala binis plerumque versibus breviter commemorando eadem omnia Ibidi (quod nomen praeeunte Callimacho pro vero posuit) devovet et aliquanto etiam plura. Totum carmen ineptum est neque ab ulla parte laudandum [2]).

---

[1]) Leutschius haecce abundantiam mirum in modum sic excusat, ut Ovidium res omnes posuisse dicat, quibus puella comparari possit: serius pauca ex hisce electurum fuisse: quae nos legimus, quasi conceptum quod dicimus esse. — In Theocriti carmine Polyphemi II v. 19 quatuor tantummodo comparativi leguntur.

[2]) Halieuticon argumentum aeque fere inane est; piscium in Euxino varia genera enumerantur versibus operosis et spondaeorum copia molestis (decimus fere quisque versus quinque spondaeos habet v. 117. 118.). Auctor in dubio est, quamquam Plinius aliquid de piscibus Ovidio attribuit: nos quidem Bernhardio assentientes Halieutica Ovidiana esse negamus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Fastorum libros sex postremo editos supra diximus opusque e demidia tantum parte confectum esse, id quod ii quidem suo jure dolent, qui varias notitias antiquarias, ex priscis annalibus aliisque libris studiose collectas in alteris quoque sex libris libenter investigarent: sed si quis virtutem tantummodo poeticam perpendit, non ita magni faciat, quod opus imperfectum est. Namque si quis nostratium calendario sumto siderum casus ortusque carmine colligeret, virorumque, quorum nominibus singuli dies notantur, res gestas decantaret, num placido eum lumine Musa vidisse crederetur? nonne frigidum et indignum poeta et omnis spiritus majoris expers argumentum videretur? Vix aliter est de Fastis: opus „operosum" neque pulchrum est neque dulce, neque quoquam animum lectoris agit, exceptis episodiis illis suavibus et venustis, quae optimis in Met. fabulis tantum non sunt inferiores. Ejusmodi in libro I. sunt Aetas aurea et Pan, l. II. Arion, Faunus, Brutus, Lucretia, l. III. Sabinae et Ariadne, l. IV. Proserpina, l. V. Juppiter et Neptunus, l. VI. Vesta. — Exorditur autem poeta a mensium numero et nominibus, exponitque quid sint dies fasti nefastique, quid Calendae, Nonae, Idus: deinde colloquium cum Jano satis bene enarrat, quo de ejus cultu sit edoctus: item postea de Martis, Veneris, Junonis sacris; atque totum opus filo dierum decurrit ita, ut quaenam sidera oriantur, quaenam occidant, breviter commemoretur, causaeque, ex quibus singuli dies aut fasti sint aut nefasti, aut aliqua denique re notabiles.

IV. De virtute poetica.

Perlustratis igitur operibus Ovidianis profitemur, ne unum quidem esse, quod altioris spiritus speciem prae se ferat, neque unquam vatem sancto quasi impetu ferri, neque coelesti quodam mentis instinctu carmina fundere. Nihilominus poemata pleraque animum legentis alliciunt et delectant. Quaenam sunt igitur virtutes, quibus excellunt? In rebus eum, si summam spectes, versari diximus sacro vate minoribus: sed materiam sumsisse dicendus est viribus aequam. Aut enim ex usu vitaque quotidiana argumenta sumsit, aut fabulas aliunde petitas ex sua indole et ingenio ita conformavit et ornavit, ut paene suae ipsius dici possint. Jam si operum omnium virtutes quaslibet exponere et quasi in corpus quoddam redigere conaremur, ultra fines suos libellus excurreret; quare summam tetigisse contenti erimus. Tres autem potissimum sunt res, quibus excellere poeta possit: rebus, oratione, versibus. De rerum tractandarum inventione non est quod disseram, quum operum argumenta proposuerim: quemadmodum igitur illae tractatae sunt? Elucet primum in observandis hominum pectoribus, quonam instinctu et cupiditate commoveantur, in animorum ut ita dicam pathologia, mirum acumen et sagacitas. In amoreis operibus animorum vel levissimos motus vitaeque res minutissimas quoque et acerrime observavit et pellucide expressit, recteque usus haec carmina movisse dicitur (A. A. 1. v. 29). Apis Matinae more modoque non per laborem quidem sed per voluptatem de vitae quotidianae convivio et hilaritate grata mella stipat, sub quibus impia etiam libidinis venena latere non negamus: plerumque autem subtilissimas et elegantissimas animorum imagines expressit ita, ut aequalium mores totiusque vitae indolem penitus perspexisse intelligatur, prae ceteris pectorum vitia et infirmitates quaslibet. Artis Amorumque quaeque fere pagina documento est: ex ceteris libris monologi illi, quibus Byblis (M. VII. v. 810—20), Myrrha (X. 298—502), Scylla (VIII. v. 44—80), Althaea (VIII. 462—512), Medea (VII. v. 11—71). facinora secum volventes tam dilucide exponunt, quibus affectibus causisque in utramque partem trahantur, et inprimis ingeniose meliora consilia infirmant, deteriora causis captiosis probant. Aeque fere in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

armorum certamine (quam causae actionem magis quam carmen dixerim) fortissimus Ajax sua merita extollit Ulixique obtrectat et disertissimus Ulixes ingeniosissimis ad procerum animos conciliandos artificiis utitur. Non intercedam, si quis forte haec et monologos tanquam nimis rhetorica non ita magna laude dignatur: equidem ingenium tantum artemque, qua pectora humana observaverit, ostendere volui. Quaeritur quemadmodum poeta illis usus sit in hominum natura moribusque fingendis. Breviter eos adumbrare solet, quum singula tantummodo facta describat, sed convenienter et dilucide et concinne. Pauca recordari licebit. Proserpina igitur nudo pede per sua prata errat, dumque cum puellis violaria legit et amaranthos crocosque et rosas, carpendi studio longius devagans visaque raptaque est Diti. Matrem quidem anxie invocat, tantaque vero puerilibus annis simplicitas adfuit, ut florum quoque e sinu cadentium jactura virgineus dolor moveretur. Huc adde Cereris dolorem egregie descriptum et tenerum animi motum, quum terras perlustrans a virgine quadam mater appellaretur (F. IV. v. 513), quo nomine delenita ejus fratri medetur. Insignis etiam pietatis imago est Pandion Philomelam Tereo tradens precansque, ut patrio eam amore tueatur et quamprimum dulce lenimen senectae sibi remittat (Met. VI. v. 495 sqq.): nec male sacrorum fumus, quibus exul Ovidius uxoris natalitia celebrat, leni aura Italiam versus deferri dicitur. (T. V. 5. v. 29). Sed et animos acrius fortiusque affectos egregie depinxit; ut de heroum virtute taceam, elegantissimum de Procride, Auram pellicem timente episodium (A. A. III. v. 686 sqq.), Niobes superbia et dolor, Hecabes maeror, Polyxenae et Lucretiae nobilia leta Ovidii ingenium artemque probant, qua feminarum inprimis mores et affectus praeclare delineavit. — Neque minor est in rebus communibus et externis describendis. Veris redeuntis dulcissimas imagines lege F. I. v. 151 sqq. V. v. 207, cantus dulcedinem F. II. v. 83, auream aetatem F. I. v. 200, M. I. v. 89, agriculturam R. v. 169, venatum R. v. 196, tempestates M. XI. v. 480. T. I. 2 et 4, lusus pueriles M. VIII. v. 196, Bacchi triumphum M. IV. in. Haec igitur breviter commonuisse sat erit, quum horum locorum virtutes expositurus toti ponendi essent; insigni praeterea laude dignam censeo Philemonis Baucidisque casam usumque vivendi M. VIII. v. 611 sqq. descriptum. Tam subtili arte itemque tanta simplicitate apparatus coenae, coenaque, quaeque eam sequuntur sunt exposita, ut res singulae tanquam Batavorum minutae picturae quasi ante oculos obversentur. Dubito an haec omnium sit praestantissima fabula. — In ea igitur narrationis mora et accuratia laudem merentur: locus alter apponatur narrationis brevitate et celeritate excellens. De Tarquiniis juvenibus res est F. II. v. 735:

Nox superest: tollamur equis, Urbemque petamus.
Dicta placent: frenis impediuntur equi.
Pertulerant dominos. Regalia protinus illi
Tecta petunt: custos in fore nullus erat.
Ecce nurum Regis fusis per colla coronis
Inveniunt posito pervigilare mero.
Inde cito passu petitur Lucretia. Nebat:
Ante torum calathi lanaque mollis erant etc.

Hujus laudis pars ad orationem spectat non minus quam illa, qua pro mentis acumine et imaginationis vigore res gestas verbaque suae cujusque conditioni moribusque egregie accommodat et adaptat. Oratio autem sive placide fluit, sive splendide incedit, sive comparationibus illustratur, sive imaginibus ornatur:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ubique semper est facillima et elegantissima: si quo peccat, ait G. J. Vossius, eo peccat, quod magnorum fluminum instar interdum redundat. Hujus abundantiae in narrando exempla, quibus alia addi poterant, notavimus, quum de rebus in Met. emendandis diceremus: sunt et alii loci, quibus nimium orationem ornavit verbaque cumulavit eadem fere repetentia. Sic de magno numero dixisse sat erat: quot littus arenas habet; inprimis frigide addit: quotque fretum pisces ovaque piscis habet. Saepius simili modo abundat in comparationibus, e. g. A. II. 10 v. 13, A. A. II. v. 517 etc. Alterum vitium est in annominationibus parum simplicibus: M. XII. v. 236 crater quem vastum vastior ipse sustulit Aegides XIII. v. 622 Aurora rorat, v. 922 ducebam ducentia retia pisces XV. v. 168 humus aret arenis. F. III. v. 595. Jactatur tumidas exul Phoenissa per undas Humidaque opposita lumina veste tegit cf. H. X. v. 38. A. A. III. v. 315. Tertium in argutiis: M. II. v. 146 consiliis, non curribus, utere nostris: quo loco quae de adusto mundo sequuntur, nimii tumoris exemplo esse possunt. Hujuscemodi igitur vitia deprehenduntur: ceterum autem omnis oratio perspicuitate, vigore, volubilitate, elegantia, ornatu nec non versuum numero et facilitate excellit adeo, ut me quidem judice poetas Romanorum ad unum omnes antecedat. Documento prae ceteris ii loci esse possunt, quos supra vel propter argumenti vel propter tractationis praestantiam laudavimus. Accuratius enim ejusmodi virtutes anatomice exponere, neque opus est neque gratum, quippe quae interpretantis sedulitatem aspernantur. Itaque nos singulas quasdam res tractandas elegimus: sententias eleganter et acute expressas, deque versibus eos, qui poeseos aut licentiam aut insignem artem ostendunt[1]).

Etenim non parva est laus, si quis in rebus simplicissimis et quasi publicis verbis artem arte carentem probat hancce, ut sententiam communem presse simul et ornate proponat. Jam quum Ovidius tam sollers sit oratione, ut vel uno epitheto rem praeclare illustret et repraesentet (e. g. Et magis adducto pomum decerpere ramo Quam de caelata sumere lance juvat) et quam brevissime et acutissime rei summam stringere calleat (e. g. paupertatemque fatendo effecere levem. — Jlla loquebatur (eum retentura): navem solvebat Ulixes): quid mirum, eum sententias communes et quasi proverbia ex usu quotidiano repetita perspicue et eleganter versibus expressisse? Locus iis est prae ceteris in Arte, cujus praeceptis haecce quasi publica praecepta pro documentis apposuit. Quorum nos praestantissima repetamus, omissis notissimis.

A. A. I. v. 349. Fertilior seges est alienis semper in arvis.
v. 541. Sic ne perdiderit non cessat perdere lusor.
II. v. 342. Sub qua nunc recubas arbore virga fuit.
III. v. 583. Dulcia non ferimus: succo renovemur amaro.
v. 674. Prona venit cupidis in sua vota fides.

---

[1]) Inter singula Ovidii opera et orationis et versuum discrimen, ut poetam certum artis genus sibi praeparasse dicas, statui nequit: statuere Leutschius perperam conatus est. Is quidem non varias tantum figuras rhetoricas, sed verba quoque cinctutis audita Cethegis notavit (face, dixti, stertisset, dimicuisset), quasi hisce O. dignitatem poeticae orationi debitam quaesierit (pg. 66), et nova ab ipso O. inventa (puellaris, ruricola, septemplex). Et dubium inprimis est, utrum novaverit haecce, (num „septemplex" Virgilius ab Ovidio mutuavit? Aen. XII. v. 925), et nauci habendum. Majorem autem versuum in Met. dignitatem et elationem nos docens, una fere hac re pro documento utitur, quod — nascere mus! — puto non jam pro pyrrichio ponatur in Met. et Fast., sed pro jambo (pg. 79). Hoc per se multo magis est nugatorium et perversum, quam quod subtilissima haecce observatio prorsus falsa est; ubique enim pūtō legitur et in ceteris operibus et Met. II. v. 566. III. v. 266. XI. v. 425. XIII. v. 523. XV. v. 497. Fast. III. v. 493; semel omnino pūtō A. III. 7. v. 55.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

R. v. 91. Principiis obsta: sero medicina paratur
Quum mala per longas convaluere moras.
516. Quae nimis apparent retia vitat avis.
686. Dum sibi quisque placet credula turba sumus.
T. III. 4 v. 25. Crede mihi: bene qui latuit, bene vixit, et intra
Fortunam debet quisque manere suam.
P. II. 7 v. 7. Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
III. 2 v. 9. Quum feriant unum, non unum fulmina terrent.
F. I. v. 225. Laudamus veteres, sed nostris utimur annis [1]).

Transeo ad versus aut licentia aliqua aut insigni arte notandos. Licentiarum fere levissimam habere solemus versus spondaicos: cujus apud Romanos usum opinione rariorem esse credo. De viginti tribus hexametrorum millibus quot tu versus spondaicos esse credis? non amplius duodecim, atque omnes quidem in Metamorphosibus [2]). Namque qui praeterea leguntur in omnibus operibus, numero XL., nominibus propriis debentur, quae a strictioribus metri legibus recedunt. Eadem neque hiatum aspernantur [3]), prorsus nunquam praeterea nisi in interjectionibus admissum ab Ovidio, neque brevium syllabarum productionem. Alibi productio haecce non nisi certa lege admittitur in arsi (plerumque sequente caesura) tribus hisce modis; primum in perfecti formis per ĭĭt desinentibus, quum praecedente syllaba tribrachys efficitur, deinde in formis per ĕrĭs exeuntibus, denique in particula que. Locos infra ponere volui, ut ex eorum copia intelligatur, perversam esse rationem, qua editores omnium temporum ejusmodi versus inserto et sive que, sive verborum transpositione emendare studuerunt, vel hoc pacto, ut prosodiam laedant, sicuti „sideraquē ventique nŏcent" mutarunt in sideraque et venti nōcent" [4]).

Syllabarum longarum corripiuntur nullae nisi perfecti formae tetrasyllabae amphimacrum in hexametro intolerabilem efficientes, velut praebuĕrunt, abstulĕrunt. De voce fac dubia res est; quae ubi făc legitur, arbitrarie scribitur făcĕ; suspicor ego, fac non minus quam fer originis suae brevem

---

[1]) Vide praeterea A. I. 2 v. 10. 8 v. 49. 104. III. 4. v. 17. 8 v. 55. 11. v. 7. H. VI. v. 93. H. VI. v. 93. A. A. I. v. 45. III. v. 397. M. III. v. 135. X. v. 33. T. II. v. 329. P. III. 4. v. 79. F. I. v. 419. IV. v. 311. VI. v. 771.

[2]) M. I. v. 62. 117. 732. III. 679. V. 165. VI. 69. 128. 247. VII. 116. 581. XI. 454. XIII. 684 in quibus decem sunt tetrasyllaba. Metamorphoses, tertia omnium operum pars, 11,993 versuum numerum complent, cetera elegiaco metro scripta 22,020.

[3]) E. c. H. 4. v. 99. 8 v. 71. A. A. II. v. 185. III. v. 13. M. I. v. 155. II. v. 244. V. v. 565. VIII. v. 310. 315. XI. v. 17. F. II. v. 43. et alibi.

[4]) ĭĭt (fere nusquam nisi in verbi eundi compositis, subiit, rediit, abiit etc.) A. III. 8. v. 18. H. VI. 63. XIII. 29. XV. 173. A. A. III. 63. 64. 707. R. 6. M. I. 114. II. 567. III. 546. IV. 711. VI. 668. VII. 170. VIII. 870. IX. 611. 612. X. 15. XI. 14. XII. 392. XIII. 444. 958. XIV. 101. 519. 618. 766. XV. 63. 111. T. III. 14. v. 36. IV. 3. v. 68. P. I. 3. v. 74. IV. 12. v. 44. J. 371. 532. F. II. 341. III. 333. 474. IV. 721. V. 515.

erĭs. A. I. 4. v. 31. 32. 8. v. 101. 105. II. 2. v. 16. Her. VII. 53. X. 126. XIII. 67. XXI. 189. A. A. I. 370. 389. 447. II. 280. 337. III. 661. R. 247. 635. 671. F. I. 17. 116. M. X. 560. XIII. 756. XV. 94. T. IV. 10. v. 2. V. 13. v. 9. P. I. 8. v. 29. IV. 9. v. 101. 10. v. 21.

quē. M. I. 193. II. 16. III. 530. IV. 510. V. 489. VII. 225. 265. VIII. 526. X. 262. 308. XI. 17. 36. 290. XIII. 257. 258.

Haecce igitur productio non ut metrici docent particulae que, sed magis etiam formis per iit et eris desinentibus usitatissima est. Praeterea nullae syllabae producuntur ab Ovidio excepto ūs M. X. 98. XI. 366. XIV. 250.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quantitatem servare; certe in Ovidii operibus nusquam fāc legitur nisi sequente positione, decies autem făc[1]). Sunt praeterea paucae quaedam syllabarum contractiones (deerat, aurei, alveo), quas commemorare putidum sit; parcius etiam distrahuntur (persolūenda, evolūisse). Versus deinde paucissimi sunt per particulam que hypermetri[2]): cujus quam volubilis sit natura et haec res docet, quod persaepe aliis verbis jungitur, quam quibus debetur; passim non dicendi verbo, ut debebat, sed primo orationis directae verbo adjungitur; quin pro: et ait: „Non", legitur: Neque, ait, sine numine vincis M. XI. v. 263, pro „et incruentatus": inque cruentatus M. XII. 437. Denique, quod metri ratione factum videtur, praepositiones liberius ponuntur, e. c. hostibus e si quis, et infinitivi aliquot perfecti aoristice pro praesentibus[3]).

Hae igitur sunt licentiae, quas Ovidius sibi permisit; unde facile est intellectu, severiores eum sequi leges, quam quas alii sibi imponunt. Ceterum versus Ovidiani nusquam operosi laboris molestiam sed uberis ingenii facilitatem et elegantiam ostendunt, tamque celerem et sententiarum et rythmorum cursum, ut recte observatum sit, ejus opera non lente tardeque, sed cito et velociter legi. Versuum non optimos quidem per se dixerim onomatopoeticos, sed eos tamen, quibus ars facillime cognoscatur, ideoque praestantissimos in fine libelli apposui. Repetito ē doloris opinio veteribus movebatur: namque „ēlegēia flēbile carmen: M. III. v. 477. Quo fugis? o remanē nec mē crudēlis amantem dēsere. Cf. M. IV. 110. 142. 582. 590. Fuscae vocales consonantesque fuscum sonum imitantur:

M. VII. 113. Pulvereumque solum pede pulsavere bisulco
Fumificisque locum mugitibus implevere.
M. XII. 85. Utque hebeti pectus tantummodo contudit ictu.
M. I. v. 732. luctisono mugitu.

De ranis notissimus versus est M. VI. 376. Quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentant; de Solis equis: hinnitibus auras Flammiferis implent pedibusque repagula pulsant.

Spondaeis aut immobilitatis et lentitudinis aut moliminis notio movetur: De Symplegadibus
Quae nunc immotae perstant ventisque resistunt. M. XV. 339.
Incustoditam lente videt ire juvencam. M. III. v. 15.
Annosam pinum magno molimine tentat. M. XII. v. 357.
Vi multa vertit terraeque afflixit Atrides. M. XII. v. 139.

Dactyli celeritatem et adhibita verborum transpositione angorem significant:
Ter quarter ora viri capulo cava tempora pulsat. M. XII. v. 133.
Perque mare instabiles nimia levitate feruntur. M. II. v. 164.
Hi ludunt, hos somnus habet, pars brachia nectit
Et viridem celeri ter pede pulsat humum. F. VI. 329.
Decidit atque cadens: Pater, o! pater, auferor, inquit. A. A. II. v. 91.
Hospes, ait, nosco, Colchide, vela, venit. T. III. 9. v. 12.
Et, fuge, ne dubita, moestum, fuge, dicere, tectum. F. III. v. 641.

---

[1]) A. II. 2. v. 40. H. II. 98. XIII. 144. XX. 152. A. A. II. 210. R. 337. M. F. 60. F. I. v. 287. V. 690. P. II. 2. v. 64.
[2]) M. IV. 11. 779. VI. 507. XII. 395.
[3]) A. A. III. v. 319. 769. R. v. 415. M. II. v. 565. 618. V. 225. 430.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Haec igitur de versuum componendorum arte satis sit commemorasse. — Quodsi paucis de Ovidio judicium exprimendum est, profitemur, hominem fuisse laxum et libidinosum, neque virile quidquam cordatumve in moribus ejus deprehendi; poetam autem, indole quidem egregia praeditum sed grande quid et nobile amplecti imparem, versari in rebus parvis levibusque; opera denique neque argumenti neque compositionis virtute praecellere, sed observationis acumine, ingenii ubertate et imaginatione, narrationis vigore et varietate, orationis denique versuumque mira facilitate et elegantia.

Corrigenda.

Ignoscant aequi lectores, si de grege vitiorum a typotheta commissorum alia oculos meos fugerunt, alia illum corrigere frustra jussi. Quae quidem animadverti, praeter distinguendi notas aut omissas aut perperam notatas, infra indicabo. Pag 1 l. 14 lege convincunt, not. 1 l. 3 tolle sumi, pg. 2 l. 4 lege munerum pg. 3 l. 9 a. i. l. aperientia. pg. 6 l. 13 l. adiit, l. u. Concordiae pg. 7 l. 3 positor, not. 3 lege Fast. II. v. 63. pg. 13 l. 10 uberem pg. 14 l. 12 a. i. Propertius. Bis etiam (pg. 11 n. 1 pg. 18 l. 13) corpore legendum ubi corporis perperam scripsi, et pg. 18 l. ult. threnodia.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf